



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 24. Successio Constantinopolitanorum Patriarcharum in Ecclesia Græca.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](#)

**Sæcul. XVI** r. Duci proponebat, ut hic tempori ce-  
**A.C. 1545.** dere, ac Dominicanis sua Monasteria re-  
 stituere, consultius fore existimaret, ne  
 novo suo molimine mala magis funesta  
 sibi accerferet, si forte ea, quæ atten-  
 bat, pertinaciter prosequeretur.

### §. XXIV.

#### *Successio Constantinopolitanorum Patriarcharum in Ecclesia Graeca.*

*In Turco-  
Gracia l. 2.*

Cum Jeremias Constantinopoli in Græcia natus jamjam anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo primo Patriarchali huic Ecclesiæ praefectus fuerit, eandem sedem per plures, quam viginti tres annos occupabat, eo autem regnante Procorus Acridanæ urbis, quæ olim prima Justinianæ appellabatur, Archiepiscopus Constantinopolin ad Patriarcham pervenit, secumque Sultani Diploma attulit, vi cuius fuit declaratum, quod Beroensis Episcopatus, qui Thessalonicae Sedes Metropolitana est, Acridanæ Diœcesi sit obnoxia. Pollicebatur Archiepiscopus hic Turcis, quod tributum a Patriarchis pendi solitum centum omnino aureis augere vellet, dummodo ei præfata urbs restitueretur: cum vero Jeremias demonstrasset, quod hic Episcopatus ultra trecentos abhinc annos Ecclesiæ Constantino-

pq

**Sæcul. XVI.****A.C. 1545.**

politanæ fuisset subjectus, caussam obti-  
nuit, ea tamen lege, ut tributi augmen-  
tum, quod Procorus obtulerat, & ipse  
penderet, ea igitur ratione hujus tributi  
summa hoc anno ad quater mille & cen-  
tum nummos aureos die S. Georgio sa-  
cra quotannis numerandos ascendebat.  
Porro Jeremias Bulgariam perlustrans,  
ibidem anno Domini millesimo quin-  
gentesimo quadragesimo quarto fatis  
functus est, eidemque successit Dionysius  
Peræ natus ac Nicomediensis Metropo-  
lita, cum vero non nisi præsente Ger-  
mano Patriarcha Hierosolymitano ele-  
ctus fuisset, nec ceteri Episcopi ejus ju-  
risdictioni obnoxii convocati essent,  
hinc illi huic electioni obstrepebant, ir-  
rito licet conatu; quippe Solimanus  
Dionysium confirmabat, adjecta condi-  
tione, vi cuius itidem tributum augere  
teneretur. Verum hæc Imperatoris  
confirmatio nequaquam tumultus seda-  
bat; Episcopi enim ac Clerici adversus  
Patriarcham conspirantes Synodum  
contra illum convocarunt: Dionysius  
tamen sedem suam conservabat, atque  
brevi post tempore e vivis excessit, cui  
postea Metrophanes Cæfariensis subro-  
gatus est. Ceterum inter Patriarchas  
Latinos Cardinalis Farnesius Constan-  
tinopolitani titulum obtinuit, illi autem  
defuncto successit Cardinalis Columna.

**Bb 5.****§. XXV.**